



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De Hier[usale]m quæ illa sit, de qua d[omini]s ibide[m] q[uo]d & si  
quatuor iudicia mea pessima misero in Hier[usale]m, t[ame]n  
reli[n]quet[ur] i[n] ea saluatio educe[n]tiu[m] filios et filias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

Ezech. 14.



Oc iudicium terræ illius quæ peccauit, non quomodo cūq; sed ita, quemadmo dum dixit, terra cum peccauerit mihi, ut præuaricants præuaricetur. Quid nam est præuaricando præuaricari, nisi perleuerare in proposito præuaricationis, corde impenitentis? Hoc deniq; est peccatum terræ illius grauissimæ, scilicet

Psalm. 4.

Iudæorum, quibus maxime & primo loco, & deinde hæreticis illa redargutio congruit, filiū hominum usq; quo graui corde. Quomodo illi maxime præuaricando præuaricati sunt, id est in præuaricatione perleuerauerunt? Filiū dei dominū Iesum Christū in præuaricatione sua reprobauerunt & crucifixierunt. In præuaricatione inquā, id est, contra legē suam. ¶ Dixerat em̄ in lege Moyses. Prophetā de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dñs deus tuus, ipsum audies. Qui autē uerba eius, quæ loqueretur in nomine meo, audire noluerit, ego ultiro existā. Ergo dominū Christū reprobādo, præuaricati sunt præfertim cum legitimū haberent signū, per quod intelligere eū possent esse prophetā illū scilicet sufficiens in opere & sermone eius ueritatis testimonīū. Sed forte aliqui de ignorantia se excusare potuerunt dicentes, eū esse magiū. Proinde cū blasphemaretur ait. Et quicū q; dixerit uerbū contra filiū hominis, remittetur illi. Et cū pateretur, pater (inquit) ignoscet illis, non em̄ sciunt quid faciunt. Sed quid post hæc? ¶ Quomodo terra illa inexcusabilis facta est, uel quomodo præuaricans præuaricata est, ut inexcusabilis esset? Venit spūs sanctus super discipulos eius, quos nimis significans dixerat illis. Et si ego in Beelzebul principi dæmoniorū enīcio dæmonia, filii uestrī in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices uestrī erunt. Ejiciunt, id est, certissime ejiciunt, magis q; nunc, cū spiritus sanctus aduenierit. Venit (inquit) spiritus sanctus manifesta uirtute testimonīū perhibere, quod ille esset Christus & tunc adimplētū est quod dixerat illis. Cum autē uenerit paracletus, quē ego mittam uobis à patre spiritū ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonīū perhibebit de me, & uos testimonīū perhibebitis. Hoc factō nihilominus in præuaricatione perleuerauerunt & blasphemare non cessauerunt, & tunc demū cōtra spiritū sanctum uerbū dixisse iudicati sunt. & illa sententia uenit super eos, qui autem dixerit uerbū contra spiritum sanctū, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.

¶ De Hierusalem que illa sit, de qua dominus ibidem quod & si quatuor iudicia mea pessima misero in Hierusalem, tamen relinquetur in ea saluatio eduentium filios & filias. Cap. XVIII.

Ezech. 14.



Lla autē, quæ uere est Hierusalē, qualē habet prouentū in medio cunctarū tribulationū. Quod & si (inquit dominus continuo in eodē propheta) quatuor iudicia mea pessima, gladiū, & famē, & bestias malas, et pestilentia misero in Hierusalē, ut interficiā de ea hominē & pecus: tñ relinquetur in ea saluatio eduentū filios & filias. ¶ Mira distantia, mira oppositio illius terræ, id est, apostratricis synagogæ &

Mira distācia  
inter ecclesiā  
& synagogā  
apostratricem

I. Iohann. 5.  
Persequitiōes  
Ro. Im. nō no  
cuerūt ecclesie  
Iohann. 5.

istius Hierusalē, id est, fidelis & catholicæ ecclesiæ. In illa terra, Noe, Daniel, & Iob, si fuerint in medio eius, nō possunt ab uno quolibet iudicio: isto: liberare filios & filias, sed solas animas suas: in ista autē Hierusalē, si cuncta hæc quatuor iudicia dñs iudicat in eā, uide licet ut probetur patientia sanctorū (quod sāpe factū est) nō dico, q; minus est, Noe, Daniel, & Iob, si fuerint in medio eius, liberabūt filios & filias. Sed dico, qd plus est, relinquet in ea saluatio eduentū filios & filias. Plus nāq; est moriendo educere filios et filias in uitā æternā qui non erant, q; orando liberare ab interfectione corporis filios et filias qui iam erant. ¶ Audiuimus, uidimus, quanta fecerit in ista Hierusalē totus mundus, in maligno positus, et maxime eadem illa bestia superioris memorata terribilis atq; mirabilis, quantis, q; late diffusis persecutionibus, quasi magnis et ferreis dentibus, istam Hierusalem comedet, rit atque comminuerit. Sed quid nocuit? Relicta est enim in eis saluatio eduentum filios et filias: quia nimis rūm sicut frumentum seminatum et in terra mortuam, in multo plicem resurgit fructum: ita persæpe paucis pro testimonio fidei morientibus, multa miseria rationabilem patientiam illorum considerando, in Christum crediderunt. De quibus recte dicas, quia priores illi morientes, istorum patres siue matres fuerunt, eosq; tanquam filios et filias, immo uere filios et filias suo sanguine pepererunt. Ita ergo est uere Hierusalem et uere domus Iuda, cui dictum illud in Osee ueraciter congruat.

Et domini

ET PROCESSIONE SAN. SPI. LIB. VIII. CV.

Et domui Iuda miserebor & salubo eos in domino deo suo, & nō salubo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. ¶ Item in Zacharia. Non in exercitu, nec in rob ore, sed in spiritu meo dicit dominus exercitum. Spiritus tuus à te procedens domine exercitum, & ab illo cœnaculo incipiens: ubi expectabatur, cum pauci homines essent congregati in unum, uenit usq; ad illius bestiæ dentes magnos, dentes ferre eos, quæ nimis bestia, scilicet Romanum imperium uere erat Babylonie, & per omnē persecutio[n]is fornacem, semetipsa exhibens p[ro]p[ter]is martyribus tanquam uentum rotis flante[m], tam diu illos refrigerauit, & tam diu filius dei cum illis ambulauit per medium ignis, & fide[m] illorum illæsam custodiuit: donec illa bestia homo fieret, id est, rationem admitteret, & rationabilem esse christianorum fidem intelligens, uexillum crucis in sua fronte susci[per]et, ac uoce humana patrem & filium & spiritu sanctum, unum & uerum esse deum pronuncians, etiam patronū se cultoribus eius exhiberet.

**D**e tribus viris illis, quorū hec propria nomina fuerunt, Noe, Daniel, & Job qualiter suis quisq[ue] temporibus egressi fuerunt. Cap. XIX.

**I**uxta igitur de terra illa quicunq[ue] pertinere cupiunt ad tres viros istos, Noe, Daniel, & Job, & videant illius terræ quanta desolatio & istius Hierusalem, q[uod] fructuosa sit probatio. Nam ecce (inquit) ipsi egradientur ad uos, & videbitis uiam eorum & adiuuentiones eorum, & consolabimini super malo quod induxi in Hierusalem, in omnibus quæ importauit super eam, & consolabuntur super uos cū uideritis uiam eorū & adiuuentiones eorū, & cognoscetis q[uod] non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait dominus deus. ¶ Magnum & pene inenarrabile sacramentū. Quomodo de terra illa, quā supra habuimus, Noe, Daniel, & Job, totiens nominati ad nos exierūt quoniam filios & filias saluare non potuerunt? Dicamus in primis de tribus uiris illis quorū h[oc] propria nomina fuerunt, Noe, Daniel, & Job, qualiter suis quisq[ue] temporibus egressi fuerint. Primus egressus est Noe cū tribus filijs, Sem, Cham, & Iaphet. Daniel uero cum tribus pueris, Sidrach, Misac, & Abdenago. Job autē cū tribus amicis suis, Eliphas, The[us], Manites, Baldad, Suites, & Sopharnaamathites. ¶ Qualis fuit egressus illorum? Egressus Noe de congerie mortuorum fuit, ad reparationem generis humani de tribus filijs, sub tria benedictione dei, dicentes. Crescite & multiplicamini. ¶ Egressus Danielis cū suis concapitiis ad consolationem ipsorum cū tribus pueris, quos de medio Babylonie fornaciis uictores recepit, glorificatus ipse tribus gratiæ incrementis, in conspectu trium regum, uidelicet in conspectu Nabuchodonosor, interpretatione somniorum: in conspectu Balthassar, lectio[n]e & interpretatione uerborum, quæ miro modo in pariete ab inuisibili uisibiliter scripta sunt: & in conspectu Darij uictoria laudabilis, quia misit dominus (ait) angelū suū, & concludit ora leonum, & non me contaminauerunt. ¶ Egressus Job fuit in exemplū patientiae cum suis superuenturis seculis, tribus modis tentatisq[ue] probati, scilicet occulta potestate, quā aduersus eū Satan acceptit, & aperta lingua coniugis, et nimia trium amico[s] sapientia, quæ illū valde afflixit, quos non recta locutos ipse per sacrificiū deo reconciliavit. Itaq[ue] tres vires isti, Noe cū tribus filijs, Daniel cū tribus socijs, & Job cū tribus amicis, fiant duodecim & hic numerus eorum est, qui & archam, scilicet ecclesiam in aquis baptisimi regendā primi post Christum suscepserunt, & in gentibus quasi in Babylonie deum clarificauerunt, & in cunctis temptationibus fortiter persistenterunt. Quod qui rite perpendit, nimis ipse perspicuit hoc dictum a domino, & cognoscetis q[uod] non frustra fecerim omnia quæ feci.

FINIS LIBRI OCTAVI.

Osee. 1.  
Zacha. 4.  
Rom. Imperi  
um erat ut  
Babylon.

Ezech. 14.

Mira myste  
ria trinitatis  
in his tribū ul  
ris, Noe, Da  
niel & Job,  
Gene. 7.  
Danie. 3.  
Job. 2.

Gene. 9.

Dani. 2. 5. 14.

Job. 1. 2.

Job. 4. 2.

Ezech. 14.